

tu Tragœdiam scripsit Oedipodem, Qua
sola (vt Valerius ait) omnium eiusdem
studij Poëtarum præripere gloriam po-
tuerit, sicut sepulchro eius insculptum
gloriosum, sed veridicum Epigramma
testatur.

DIODORVS.

Diodorum quendam Stoicum refert
Cicero, domi suæ cæcum multos
annos vixisse, sed post cæcitatem multò
quàm prius diligentius Philosophiæ ope-
ram dedisse, fidibus quoque vsum more
Pythagoreo, & lectioni librorum, quo
vno modo poterat alieni luminis auxi-
lio, dies noctesque tribuisse, adhuc quod
vix absque oculis possibile videtur, &
Geometrica tractasse, iubentem discipu-
lis, vnde & quo quanque lineam duci
vellet.

SOLON.

Cur Solonem, quem primum poni
par fuerat, in extremum reuicimus,
sed in multis collegis obseruatum, vt æ-
tate & gloria priores vltimum teneant
locum. Studium igitur Solonis ac do-
ctrina, multis & magnis testibus constat,
siue enim operis effectus consulis, & ille
nimirum toto orbe illustres Athenienſes

d. iiij.